

temnentes. Prior antecedens vocatur, altera consequens. Estque haec distinctio tantum ex diverso concipiendi modo nata, cum *in se* voluntas DEI, quemadmodum essentia, non sit diuersa, sed *vna*.
Probatur

I. *A diuersis voluntatis obiectis*, quorum nonnulla ante actum credendi vel non credendi, alia post eundem concipiuntur, in quae cum diuerso modo tendat voluntas diuina et ipsa diuersam suscipit denominationem.

II. *A scripturae indicio*, quae de voluntate DEI quaedam aliquando affirmat, aliquando negat. Quae conciliari nequeunt, nisi distinctione voluntatis ea, quae est inter voluntatem consequentem et antecedentem.

III. *A suffragio canae antiquitatis*. Habet enim hanc distinctionem non tantum DAMASCENVS, sed iam olim CHRYSOSTOMVS et ex eo THEOPHYLACTVS.

§. 3. Voluntas *antecedens* est, qua DEVS omnium hominum salutem serio vult, mediaque ordinat et offert, quibus ad eandem peruenire queant. *Consequens* est, qua DEVS actu salutem conferre iis, qui media illa recipiunt, et damnationem illis, qui ea respuunt, vult. Adeoque, vt ex ipsa descriptione patet, alio sensu hanc distinctionem theologi nostri explicant, ac olim fecit THOMAS, cui antecedens nihil aliud est, quam ea, quae aliis dicitur *simplicis complacentiae*, quae fertur in obiectum, qua illud simpliciter et in se bonum esse concipitur, consequens vero, qua

Quid voluntas antecedens, quid consequens?